

The *Manipulus/Somnium* Project
<https://somnium-project.wlu.ca>

Aduocati m

...et subit in alia epistula,
hii sunt qui civitatibus inducias negant, mercatoribus nundinas,
emptioribus mensuras, reverentiam clericis, originem nobilibus,
locum prioribus, cunctis iura, distinctis privilegia
quibus nullum genus hominum ordinum temporum cordi est.

Somnium, Prohemium 21 (G. Voltolina ed., p.17).

Hii sunt qui negant ciuitatibus inducias, mercatoribus nundinas,
emptoribus mensuras, reuerentiam clericis, originem nobilibus,
locum prioribus, cunctis iura, distinctis priuilegia,
quibus nullum genus hominum, ordinum, temporum cordi est.

Cassiodorus ibidem (super illud Psalmi LXXIII.:
Irritat aduersus nomen tuum).

Hi sunt, qui inuident tunicatis otia, stipendia paludatis,
uiatica ueraedariis, mercatoribus nundinas, munuscula legatis,
portoria quadruplatoribus, praedia prouincialibus,
flamonia municipibus, arcariis pondera, mensuras allectis,
salaria tabulariis, dispositiones numerariis,
praetorianis sportulas, ciuitatibus indutias, uectigalia publicanis,
reuerentiam clericis, originem nobilibus, consessum prioribus,
congressum aequalibus, cinctis iura, distinctis priuilegia,
scholas instituendinis, mercedes instituentibus, litteras institutis.
Hi sunt, qui nouis opibus ebrii, ut et minima cognoscas,
per utendi intemperantiam produnt imperitiam possidendi;
nam libenter incedunt armati ad epulas, albatu ad exsequias,
pelliti ad ecclesias, pullati ad nuptias, castorinati ad litanias.
Nullum illis genus hominum, ordinum, temporum cordi est.

Sidonius Apollinaris, *Epistularum libri nouem*, 5.7.3-4
(A. Loyen ed., vol.2, p.184).